

OPTIMO AC PRÆCLARO VIRO  
COMITI  
ITER BUDA HADRIANOPOLIM  
ANNO MDLIII EXARATUM  
A B

# ANTONIO VERANTIO

TUNC QUINQUECLESIENSI,  
MOX AGRIENSI EPISCOPO,  
AC DEMUM

ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI,  
REGIO IN HUNGARIA LOCUMTENENTI,  
MAGNO REGNI CANCELLARIO,

ATQUE  
S. R. E. CARDINALI ELECTO;

*Nunc primum e Verantiano Carthophylacio  
in lucem editum.*

ALBERTUS FORTIS.



OPTIMO AC PRÆCLARO VIRO  
COMITI  
FRANCISCO DRAGANITIO  
VERANTIO  
SEBENICENSI PATRITIO  
J. U. D.  
PRISCÆ HOSPITALITATIS  
AC LITERARUM CULTORI  
EXIMIO  
FRAGMENTUM VERANTIANUM  
MERITA LUCE DONATUM  
GRATI DEVINCTIQUE ANIMI  
MONUMENTUM  
D. D. D.  
ALBERTUS FORTIS.

OPTIMO AC PRECLARO VIRO

COMITI

FRAANCISCO DRAGANIIO

VERRANTIIO

SEBENICENSIS PATRIOTICO

J. U. D.

PRISCE HOSPITALITATIS

AC LITERARUM CULTORI

EXIMIO

ERAGMENITUM VERRANTIANUM

MERITA LUCE DONATUM

GRATI DEVINCTIOUE ANIMI  
MONUMENTUM

D. D. D.

Alazarius Fortis.



*Ex Numismate argenteo.*

## ANTONII VERANTII

SEBENICENSIS

ITER BUDA HADRIANOPOLIM.

Decima octava, & vigesima prima Julii MDLIII a Passa Budensi audit*i*, qui nobis se humanissimum exhibuit, & non solum nobiscum familiariter, sed & civiliter præter omnem suæ gentis morem colloquutus est. Nec mirum; dicebatur enim litteras didicisse. Quæcumque autem apud eum voluimus pro voto gessimus. De coniunctis tantum Petrovii nonnihil laboravimus; quibusdam auxilia ex Temesvaro, Zegedino, & Zolnoko in Isabellæ Reginæ gratiam suppeditabat, quod expresse agebat contra inducias. Eo tamen diversis modis avoco ab ejusmodi tumultibus, induximus tandem ut polliceretur sensibili precipitatum antequam nos Constantinopolim  
V. e.

veniremus. Daturum se etiam ad Petrovium literas, qui ex Munkach dicebatur jam cum aliquibus copiis adven-  
tare Varadinum versus, ut interim conquiesceret, & a  
suo Principe expectaret quid facto vellet. Cavit tamen  
studio, & conatu diligenti ne Stephanum Dobò novum  
Vaivodam Rex noster mitteret in Transylvaniam cum  
exercitu: sed Andreiam Bathoreum, qui jam annum  
Vaivodatu eo fungebatur, ibide confirmaret. A cogen-  
do autem exercitu contra Petrovium, & ejus conjura-  
tos, quem cogere magna fama ferebatur, desisteret omni-  
no: quia si persisset in hoc conatu Rex, nec ipse Passa  
amicos Principis sui esset deserturus.

Hæc xxv ejusdem mensis per Veredarios Regi nuncia-  
ta. Passa nos per officiose salutato navibus grandioribus  
vechi 111, & comitati vi Hassadis classiario milite instru-  
ctis tutelæ causa movimus è Sicambria, Budamque,  
ac Pestum præternavigantes, utraque ex urbe magno bom-  
bardarum fragore honoris ergo prosequuti, ea ipsa die ad  
oppidum Räzkevi v milliaribus Pannonicis a Buda di-  
stans pervenimus, ibique noctem insequentem exegimus.

Die xxvi naves ingressi tribus horis ante lucanum  
tempus primo noctis crepusculo Tolnam venimus, quod  
oppidum a Räzkevi XII disjungitur milliaribus. Nec  
alium insignem aut nominatum dignum locum ripis Da-  
nubii imminentem in eo tractu vidimus quam oppidum  
Pachos, vinetis tantummodo circumdate, & 111 ad  
Tolnam milliaribus nostris pertinens. A quo oppido Pac-  
chos Paxiorum quoque familia denominatur, quæ quidem  
& vetus, & clara est, censeturque jam a multis annis  
in primorum ordine.

Tolnae hac exacta nocte, & die vii supra xx alto  
jam Sole inde profecti, noctem quoque insequentem,  
& diem xxviii continenter navigavimus, donec luce ad  
occasum inclinata ad Erdevod Arcem, quæ ad Titulien-  
sem

sem Præposituram olim attinebat, appulimus. Nec in hoc tractu quoque, qui terra xx fere & 111 millaria, aquis paullo minus quam duplum facere prohibetur, multa vidimus loca: quod compendia rimati fluminis inter insulas tantum sylvis obsitas, & solitudine horridas cursum tenuimus navigationis. Periclitati alioqui sæpius dum per angustiores quoddam meatus fluminis vorticosis moeandris foedos, & arborum truncos mediis aquis hic illic inharentes, tanquam scopulos nimis hostiles navigantibus vitabundi enitimus. Nec dies tantum quantum nox & pavoris, & periculi attulerat. Verum auspice Deo illæsi evasimus, Batha olim sacro sanguine, Mohacio Ludovicis Regis clade memorabili minime viso. Quæ autem loca nos, vidisse contigit, quum navium libuit rectoribus redire in justum alveum, hæc sunt. Kemzeg Arx familiæ Orbassiorum in dextra Danubii prorsus diruta, & destituta, sitaque olim in amœno loco, cui adjacebat claustrum Pauli Heremitæ. Deinde oppida nominata Veresmarth, & Lazkò. Mox Dravi fluminis ostium, a quo Valcò Comitatus sumit initium, & Baroniensis definit. Post Arcem, Erdevod, de qua super nullo honore habitata. In sinistra oppidum est Pathay, Baian Castellum nuper ab Agriensi præsidio concrematum, & Zeremlenium vicus non obscurus priscis temporibus, nunc parvo admodum possessus homine. Deus bone! quam ubique optimæ, & foecundissimæ terræ tristis nobis facies apparuit, quam inculta omnia, quam & agri, & vineæ Veprium horrore infessa, quam omni in loco rarus agricola, rarum pecus, & crebra solitudo! Noster nauclerus homo Rascianus referebat, quod qui olim salvo nostro Imperio una in villa numerus erat colonorum, nunc in xxx vix par inveniri potest. Quid de deletis pagis censes dici posse, quorum jam etiam nomina interiere? Verum enimvero dum tuemur, & consideramus Dravi ostium,

ostium, montem quendam altum & acutum versus civitatem Quinquecolesiarum conspeximus, quem quum rogasssemus quinam mons esset, accepimus Harshum ab indigenis vocitari. De quo mira narrabat meus collega Zay, quæ a veteribus accepta in hodiernum diem miraculi vice referri solent. Esse in ejus cacumine pertustam, & jam desolatam Arcem, in eaque puteum superesse profundum & cavernosum, in quem quicquid dejecteris, quod natura liberatur nec in ima demergitur, effluere in Dravum, qui ei in quinto nostro subdit millario a septentrionibus. Res autem in anate aliquando dicitur præbuisse experimentum, quæ projecta cum signo alligato in memoratum puteum paucis diebus post visa est cum eodem signo nare per Dravum.

Apud Erdevod vix cœna sumpta ubi primum illuxit Luna solvimus, & enavigato duorum milliarium spatio Arces inibi existentes Boroh, & Valco videre per noctem non potuimus.

Die vero insequenti XXIIII cum ortu Solis apparuit nobis Arx Zatha nomine, quam Turcae haud ita pridem solo tenus diruerant. Inde jam penes amoeniora loca, & ubique justo Danubii alveo tenentes cursum, occurrit nobis Arx Atthya ipsa etiam disturbata, ultimus Valco comitatus limes, & primus Syrmii Atthiæ proxima Vylacchum est, quam Rasciani Ulok vocant, multum olim memorabilis, ac ne nunc quoque obscura, curaque diligentibus custoditur a Turcis. Erat autem olim Ducis Laurentii, & ejus cognomine utebatur quia habebat hereditariam. Habuit Vylacchum proventus maximos. Cæterum unum ultimæ conditionis habitum non prætermittam referre, qui appellatus est obolarius ab unius oboli collatione. Nec succurrunt quibus ex rebus proveniebat; ejus tamen summa pecunia ascendebat ad vi millia aureorum; feruntque eam pensionem supra

quam

quam dici possit molestam , & onerosam semper fuisse  
subditis . Quare sœpenumero xx millia aureorum Duci  
suo quotannis pendere voluerunt si eo proventu eos li-  
berasset . Exorari tamen numquam potuit ; & professus  
est si centuplum pendissent se non facturum , ne ejus in-  
stitutores injuria afficeret . Unde quatuor primariorum  
Regulorum Hungariae Thomæ Strigoniensis Archiepisco-  
pi , Stephani Bathorei , N. Orzagi , & Laurentii Ducis  
**iv** facete dicta memorantur . Primis tribus tria erant  
oppida . Prior Kemencze quod *fornacem* significat ; pro-  
ximo Karon quod *damnum* , tertio Gengies quod *uni-  
ones* , quarto proventus obolaris quem Fyller vocant .  
Quum igitur tres illi a Strigoniensi Archiepiscopo con-  
vivio fuissent aliquando excepti , mutuoque inter se se-  
de magnitudine opum familiariter concertarent , Stepha-  
nus forte Bathoreus prior per extenuationem damnoſi  
nominis tantas sibi opes esse diceret , ut ex damno  
etiam redditus illi maximi provenirent : subjunxit N.  
Orzagus suas vero tantas ut canes , etiam apud eum  
in unionibus ambularent : Laurentius Dux protulit obola-  
rem redditum : Thomas demum , quia e re nata hic  
fermo in medium prodierat , cupiens ipse etiam aliquid  
afferre simile , subita cogitatione ditionem suam percur-  
rit ac inquit : Domini , mihi quoque fornax est , aut  
malitis Stuba , ea amplitudine ut aliquot millibus ho-  
minum hospitia suppeditare posset .

Ab Vylacco Corosca castellum , & mox Banmono-  
stra , Syrmensis olim Episcopatus sedes , Arx quondam  
cum oppido non incelebris , & edito atque ameno loco ,  
Danubioque imminentि posita ; nunc jam solo situ , &  
exili vestigio ruinarum nota , nec colono ut ante pos-  
seſſa multo , desolatis , & in solitudinem redactis innu-  
meris tractibus vinearum , quibus a continentí latissime  
in coronam vallabatur .

Non prætermittam de Cierevogii quoque Arce quæ fuit Valentini Terek meminisse, cuius & Atthya supra memorata erat, ambæque iisdem pollebant dotibus, atque eodem situ, sed similem fortunam fortitæ ut alia solo sunt æquatae:

Hinc oppidum Kamoncz attigimus frequens olim habitatoribus, & Sacerdotibus, & literariis ludis celebratum, unumque inter alia quæ in Syrmio habuerunt existimationem non potremus, sive opes & libertatem loci respicias, sive oppidanorum nitorem, & industriam. Centum quinquaginta domos lapideas exstructas, & decenti ordine positas, ne luteas easque numerosas reliquæ plebis casas enumerem, in eo videre erat. Nunc omnino vix cernuntur xv stramineæ. Ferunt loci incolæ vii millia vini doliorum effusa fuisse in oppido quum initio a Turcis eversum est, & instar non exigui rivi aream fori, quæ oppidum modica concavitate dirimebat, fluxisse genu tenus.

A Kamoncz Varadinum Petri cum occasu solis per venimus, ibique totam noctem exegimus non ausi per tenebras navigare propter molas oppidi Karon, quæ majore numero per eum tractum Danubii collocatae impiediebant cursum rectiorem.

Die posteriori xxx ingressi navigationem prodeunte aurora Karon oppidum primum vidimus, ubi etiam Arx olim fuerat, sed a Turcis jam disiecta est. Huic oppido etsi pristinus decor ademptus sit, & diminuta dominorum habitatorumque frequentia, nullum tamen a Tolna visum est nobis esse hoc Karonte magis incolumente, magis frequens, & agrorum vinearumque culturis perpolitum, & in quo solo id temporis vinum Syrmense retinet existimationem aliquam veteris valoris, adeo in locis reliquis ea cura destitutæ sunt vineæ. Apud hoc oppidum Mons Almus, antiquis nostris Fru-

fca

sca appellatus definit, qui ab ora quæ Attihyam, & Vylacchum Arces discriminat incipit, vinoque singulari notus est, cuius vitem Probus Imperator primus ex Italia allatam plantasse dicitur. Habet hic Mons XII circiter milliaria longitudinis, latitudinis tria ubi latissimus, totusque ex omni parte per latera, & radices vinetis cultus; juga sylvis amoenis virent, ac densantur citra horrorem. Nunc, quod deplorandum maxime est, vix e regione Danubii, cui grato atque aprico aspectu, spatioque satis sufficienter & leniter imminet vertice, omnino xx vineas non ostendit viatoriis: quum olim nullus a sylva locus vacuus non erat vitibus consitus, præsertim vero qui in tumorem magis excreverat, & incumbentem in se proprius meridianum solem excipiebat.

Ubi autem hic mons apud Karontem ut dixi definit, mox eodem loci finditur bifariam, eaque pars quæ petit mediterranea in sinistram regionem vocatur Albus, pars altera, quæ a Danubii ripis non recedit, fortita est plura nomina, ut sunt locorum quibus imminet. Hincque est *Karon beggye*, idest Karontis mons, & id genus alia.

Karontem sequitur Zalonkemen, & Titulum Arces cum oppidis, ex opposito invicem Danubio utramque interfluente alveo latissimo fitas: eaque erat divisionis regiæ, hæc habebat præpositum, tantoque Titulum Zalonkemeno integrius & frequentius esse cognovimus quanto de Karonte dixeramus. Sed id quidem ex auditu, quia sub ipsis muris Zalonkemensi transivimus, Titulum a longe inspeximus. Nec refert de ruinis excidioque, ut putamus, dicere: quia cuncta ruinae, desolatio, & solitudo habet. Hoc tantum adijcendum duxi, quod Tibiscus amnis ex Carpato monte per Comitatum primo Maromarusianum fluens, deinde per Cumanorum campos in superiore Pannonia fitos lapsus

Titulii alluit promontorium , quod habet in dextro latere . Inde paullo ultra cursu proiectus , & in paludes sparsus uno tandem ostio Zalonkemeno opposito in Danubium cadit . Adjacet in hoc loco Titulio longior quamdam quam latior palustris planities , eaque adeo humilis , & depressa est , ut quotiens vel Danubius vel Tisicus excreverit aquis tota occupetur . Nec idonea esse potest usibus bellicis , quod aliquando memini me adivisse .

Eadem die ad Zalonkemenum , & dein Zemlioium , quod citra Belgradum parvo spatio positum est , pervenimus . Arx olim fuit , & oppidum obsidendi causa Belgradi priscis factum temporibus a nostris Hungaris . Nunc solo æquata Arce oppidum in pagum redactum . Zalonkemenum autem Arx est similiter & oppidum ; eaque in editiore ripa sita est , oppidum ima tenet , vallatum quidem muro lapideo , sed tenui , & vetustate ac hyemali æstu fluminis magna ex parte ubi collapsum ubi perforatum . Arx perinde æque & imbecillibus , & ruinosis præ vetustate mœnibus eminet : nullo insigni ædificio memoranda , & in declive ad flumen pendet . Poteramus ea adhuc die appellere ad Belgradum , quum a Zalonkemeno nonniſi 1111 milliariibus nostris distet . Verum quia conductoribus visum est ut mane eo perveniremus , usi per eam noctem lenta remigratione , & prope solo cursu fluminis vecti , circiter medianam noctem Zemlinium advenimus , ibique reliquum noctis exegimus .

Julii die ultima cum sole surreximus , Belgradoque circumspectantes , & mirantes omnibus ſæculis præclarum loci ſitum ſuccessimus , quem ut describerem quam proprie fieri potuit vetus jam dudum videndi desiderium fecit .

Ubi enim Zalonkemenum , & Zemlinium prætervexeris

ris secundo fluvio in meridiem a septentrione venienti occurrit Belgradum, moxque hinc torquente se in occidentem Danubio sub ipsis mœnibus ab occidente tergo recipit Savum, latō quidem ostio, sed nec violento, nec præcipiti. Sine æstu veluti in amicitiam quandam, & consanguinitatem invicem copulantur. Jam hoc loco eminet ripa paullo in aquas prominens pendensque a septentrione, & ortu, & occiduo; quicquid a meridiana plaga habet continens id planum est & late fuso, nec nisi in tumulos, & mediocres colles assurgens. Ubi vero Belgradum sedet porrectum & æquale jugum est, quod & Arcem, & Urbem simul sustinet. Verum in oriente ipsa Urbs quadrata, in occasu triangulari forma Arx posita est, eaque parte qua in acumen turbinatur Urbi inseritur, turribus & hæc & illa in vetustum morem pluribus & frequentibus exædificata. Nec dubium est veterum & Græcorum, & Romanorum in vestigio fuisse Belgradum conditum. Arx tamen nec ingens, nec ædificio eximia. Cæterum magis ad aquas videtur vergere, & muro ad duabus turribus discreta ab ipsa Urbe est. Unde duplex appellatur, eaque Turris quæ genii semper fuit nominatissima, *Neboye* nomine, posita est in hoc discriminè, nullo nec decore, nec munimento insignis, sed quia crassior cæteris, & in qua campana tenebatur, qua quum in hostes procurrentum fuit signum dabatur militi ad arma rapienda.

Sed præter hanc Civitatem, quam in jugo sitam, & cum Arce computatam esse diximus, alia Civitas adjacet a jugo ipso ad Danubium usque fusa, sicque inclusa mœnibus in rotunditatem aliquot angulorum prout ripæ ejus conditio exposcebat circularis ab ipsa summa Civitate & Arce ductis, ut in duabus ejus extremis angulis juxta aquas ripense propugnaculum in Arcis modum existat. Et hæc in septentrionem Danubio & Savo opposita sita est.

Declivia jugi orientalis, ubi sunt portæ Civitatis superioris, & meridianam continentem, quam ad muros usque planam esse dictum est, occupant latissima, & frequen-  
tissima suburbia hortis immixta. In occasu, in quo Arx est collocata, ingens & amplum penu est annonæ bellicæ, quod semper refertum tenetur ad usus expeditionis generalis. Nec aliud juxta est suburbium quam Procuratorum, & Custodum penu, paucæ aliquot habitationes, & servitiorum tuguria.

De Belgradi nominibus dicere non omissittam. Albam Græcam appellavere veteres, credo a Græcis conditoribus, qui ea loca initio tenuerunt: quod e Strabone etiam in VII cognoscere licet, qui Dacis has regiones, quæ olim Mœsiæ appellabantur, dicit fuisse propinquas, ne & successam nationem Græcis ritibus & religioni addictam, Rascianam scilicet commemorem, & aliud de Græcorum Imperio, quod latissime olim fines protulerat.

Romani postea Taurunum vocavere, ut in Ptolemæo, & in aliis Geographis videre est, cujus rei ratio non omnino facile reddi potest.

Hungari Handor Albam nominant, a vicino colle latiore quam altiore vitibus consito, qui mons vulgo Handor heggye etiam nunc appellatur.

Ab indigenis, qui sermone Illyrico utuntur, Slavni vocatur Biogrād, hoc est gloriosum sive famosum a virtute militum Ducumque, qui in praesidio ejus succisivis temporibus manserunt ab amissio Žmiderovio, & Rascianorum Imperio.

Jam postremi Scriptores Belgradum nominant a vicinitate Illyricæ dictionis Biograd. Ubi notandum est quod hæ Nationes Illyricæ ut plurimum sedes suorum Principum hoc nomine solitæ erant olim insignire, ut de hoc Belgrado, de Alba Regali, de Alba Julia in Transyl-

vania, & de Alba Nezter Arce ad Tyram flumen sita videmus, quæ omnes dicuntur aliquando sedes fuisse Principum. Sed Belgrado Insula est opposita amœna sat, & aptissima rebus gerendis.

At prima die Augusti, relictis in Portu ad Belgradum navibus, ubi Myssæ superioris est initium, terra Zmiderovium versus iter inivimus, semperque ad Sarnovo Arcem summo in monte dextrorum sitam respicientes ad Grockam pagum, ubi & Castellum est, quod jam paullo prius quam a triennio contra excursiones Temesvarinorum Turcæ extruxerant, pervenimus, atque ibidem nocte exacta secundo Zmiderovium primis diei horis applicuimus, locum sane & Arce, & Urbe, ac suburbio dignum memoratu. Jugum enim quod adjacet Zmiderovio qua parte respicit Danubium abscissa fronte est, & leniter ab imo eminet; cætera in longum tractum porrectum, totum fastigio ac tergo planum est late fusum, nec nisi solis vineis, & fructifera arbore per magna spatia circum exultum. A radicibus ejus exit planicies veltuti animantis cuiusdam inferius labrum duum circiter millium passuum secundum ripam longa, vix vero dimidium lata, eaque penitus in flumen abiens multum & humili & depresso sic, ut minimis etiam incrementis Danubii submergatur. Zmiderovium urbem suam hoc loci excipit ripa. Ejus autem Urbis forma triquetra est, longior quam latior, altis moenibus ac xxx circiter turribus rectis, quadratis, æqualibus, & dimidiatis foras prominentibus, interiore in vetustum morem patentibus, apertis, tabulatorumque serie distinctis, magnitudine mediocri, Sopronio tamen nostro paullo amplior. Cæterum cornu tertio adverso amini opposita, in secundo quo aquis alluitur Arcem habet prorsus Civitati insertam, & validioribus atque altioribus tribus turribus emunitam; foris vero qua in montem respicit tota vallatur pomœrio,

rio, quod in quolibet latere tria ostendit propugnacula; fossaque muro incrustata ac longe profundiore cincta est quam flumen altum sit, adeo ut quum eam repleri usus postulat non immittuntur, sed infunduntur aquarum latices. Quo fit ut e regione quoque fluminis agger, vel potius moles quædam factitia fossæ est circumjecta paullo aquarum superficiem exuperans, quo hyberni glacierum æstus a muris arceantur, fossæque ipsius concavitas ab arenarum influxibus tueatur, quas amnium violentia soleat aggerere. Cæterum loca hic aliquot aperiam Cl. Ptolemæi quæ fortasse hactenus multis fuere ignorata: quamquam & ipse falli possim, nihilominus ostendam dubia me conjectura non fuisse ductum.

Est in inferiori Pannonia quintæ Tabulæ Europeæ lib. xi cap. xvi in Civitatum nomenclatura Teutoburgium, Cornacum, Acumincum, Rittium, & Taurum. Et mox in superiore Mysia, quæ nunc dupliciter appellatur Servia, & Rascia, quum sit una atque eadem regio Tabulæ Europeæ ix. lib. iii. c. ix. Tricornium nomen similiter Civitatis, & fluvius Moschius, & item Nys, ac tandem Ulpianum Civitates. Quæ etsi sæpenumero legerim alias & mecum altius considerarim, consultisque etiam aliis Auctoriibus, & multis hominibus locorum eorum peritis, atque etiam inibi incolentibus, cupidus aliquid veritatis elicere, numquam tamen rem proprius visus sum perspexisse, si modo perspicerim, quam iisdem locis visis & peragratis. Igitur quum a Belgrado ad oppidum Nys, qui tractus, ea via quam nos egimus, tota sit latitudo Mysiarum, nullum aliud flumen viderimus præterquam illud quod Moravam incolæ vocant. Visa etiam ejus eruptione in Danubium ad Zmiderovium sub ipsis pene moenibus e regione orientis, quo loco Tricornium ponit Ptolemæus, sine dubio in eam veni fidem, ut & hic Morava Moschius sit, & Zmiderovium

vium Tricornium. Quandoquidem nec ab re inditum fuit nomen huic Civitati Tricornio, quod in triangularem sive tricornem figuram sit condita, quemadmodum jam memoratum est superius de Zmiderovio. Nec id, ut asseram præsentes muros eos esse, quos olim Tricornium habuit. Verum in ejus fundamentis superstructos fuisse a Mysia Regulis nequaquam eo inficias, & affirmare facile audeo id sese sic haberi.

Jam considerata positione Teutoburgii, ostii Dravi, Cornaci, Acuminci, Ritti, & Tauruni, quod nobis introitus Savi in Danubium perfacile declarat, haud dubie & Teutoburgium Quinquecclesias, ut Cornacum Karon, & Acumincum Kamoncz, & Rittium Zalon-Kemenum esse dixerim, quemadmodum & Ulpianum Sophiam, insigne olim Dardanorum, nunc Triballorum sive Bulgarorum emporium in xviii millario ab oppido Nys positum. Loca autem ejusmodi non carent veltigiis vetustatis, passim enim rudera, & murorum ruinas ostendunt.

Cæterum tota hæc ora Danubii dextera munita erat olim urbibus, & castellis per Romanos, in quibus præsidia tenebant militaria contra incursiones Dacorum, ut est videre in Strabone Lib. vii, ubi dicit Danubium quam longe per Dacorum agrum fluat Danubium vocari, postea Istrum, donec Pontum attigerit per Getas. Dacorum autem tractus juxta veterum limites ab ostio Tibisci fluminis ad cataractas Danubii erat. Ab his in Pontum Getarum terra censebatur. Nunc ii Vallachi, Transalpini, & Moldavi sunt. Quod vero & Vardinum Petri & Zmiderovium opportunum loco ad arcendos Dacos positum sit nunc etiam appareat, quum quicquid est planitiei quæ Themesvari puztha, hoc est solitudo, appellatur, in qua duo etiam colles existunt insignes, & vicini inter se alter *Mezero somyo*, alter *Er*

*somlyo* nuncupatus, hoc totum Varadino Petri, & Zmiderovio velut sub oculis, aut sub specula quadam situm est, facileque ad occurrandam omni hosti habet facultatem. Unde quandcumque etiam in ditiones sinistri lateris Danubii Turcae excurrere, aut exercitum educere solent, semper ad Varadinum Petri vadum habent, ut nullo alio loco commodius.

Verum hic prorsus nos III die Augusti digressi a Danubio, idem recta in orientem conversus est: Mylia nos interiora petiimus & gradientes dextro latere amnis Moravæ, terra nimirum ampla, fertili, nec minus pulchra, atque amoena, & montibus utrinque comitata, quorum juga nemorosa agris erant referta. Cæterum eodem die Livadam pagum venimus, qui est ad torrentem Jesenizam, & sylvam Lomnizam situm. Quem locum dum peragramus, & inambulamus adverso torrente, didicimus domum Pauli Bakynth Venciaz nominatam haud longe fuisse, in qua olim antequam a Turcis ad nos transiret habitabat. Qui Paulus homo erat, ut scis, e Rascianis oriundus, & quum ob virtutes bellicas, quibus insigniter pollebat, tum ob fidem in Regem nostrum non vulgarem, dignus certe est ut ejus vivat memoria. Ut enim non obscure vixit meritoque inter ductores belli relatus fuerat, ita etiam obiit clara & memorabili morte, clade Joannis Coceaneri in Comitatu Valco apud arcem Ivancam (quæ erat ante quam a Turcis caperetur Francisci Zay collegæ mei) dum fugieatis nostri exercitus qua frontem qua latera & demum omnes partes unus inter Duces, magno animo, & periculo suo protegendo, identidem in hostium insultantium procurrerit cuneos.

Hoc pergentes traetu Turcas quosdam assequimur, qui equos ac mulos plenis hominum coribus pellebant oneratos, parsque eorum, qui gestabantur in huic modum,

per-

persona linei panni habebant testas facies , pars vero apertas . Quæ res etiam mihi præbuit causam quæstionis . Novitas enim ejusmodi , in solo tam a nostro alieno , monstri cuiuspam fecerat speciem . Quid , inquam , sibi volunt personæ Dyonisiales ? quid ea hominibus jumenta onerata ? Mercatoresne sunt , an furtivi aliqui ? Responsum est . Onera captivos esse ; cæterum qui persona tegebantur juniorum , & nobiliorum notare conditionem , quibus caveretur ne solis ardore ac pulverum injuria facies illorum lœdantur & si qui forte fuissent suffurati e propinquis locis , ne agnoscantur . Reliquos mercatores esse , & alios ex ultima venisse Thracia , alios Asia , tamque extime ad confinia prodire consuesse ut captivos ex copia vilius emant , charius in patria vendituri . Horrendum profecto , & lamentabile fuit spectaculum videre hominem venalem ut pecus , & tractari tam viliter .

E Livada pago egressi die IIII mensis memorati , mox que sylvam emensi non impendio magnam , quam supra Lomnizam vocari dixeram , in tertio circiter millario pervenimus ad vadum amnis Moravæ *Derventh* a monte cui subjacet vocatum , quo & vicinus pagus nomine nuncupatur ; eaque sylva etsi brevis , & non adeo densa sit , latronum tamen insidiis infamis est .

Ubi autem flumen cæpissimus trajicere alii Turcæ occurserunt , inter quos unus erat cæteris habitu , vestituque amplior : & eos quinque Ægyptii , quos nunc Ciganos , sive Ginganos appellamus , una atque eadem catena colla vincti , & ordine tracti sequebantur , lamentabiles voces edentes , & egestatem excusantes . Quæslivi tum ii quinam forent , & quæ causa catenarum ? Retulere exactores esse tributorum , quæ tam ex pecuniis , quam ex impuberibus proveniunt . Exhorri nefarias decumas , & contumeliam .

Didici tunc morem fuisse olim quinto quoque anno  
 hoc impuberum tributum legere. Nunc & secundo &  
 tertio , idque severius quam pro lege consueta corri-  
 pi enim etiam vetitos , pacisque pretio avaritiae gratia ,  
 eoque extorto denuo restitui . Quo fit ut misera plebes ,  
 audito hujusmodi exactorum emissio , ubi eosdem adesse  
 senserunt in sylvis abdunt liberos , vel amandant alio do-  
 nec ea lues præterierit . Qua inclemensia non utuntur  
 victiorum initis , sed post , ubi longius protulerint si-  
 nium pomœria , & jam adepta bene constituerint . Ex-  
 pendant hæc qui Turcarum sceptra expetunt , & iis cle-  
 mentiam erga genus nostrum inesse credunt . Ducti autem  
 sunt hoc fuko & Græci , & Mysi , & Thrases , & re-  
 liqui quique prius subacti . Nunc jam ad nos quoque  
 translata eorum potentia reliquos omnes protrivere . Sed  
 redeo . Trajecto amne Morava , paulloque ultra prove-  
 eti , montem Lucavizam , quem e Scardo monte ab Il-  
 lyriis in Mysiam usque procurrisse puto , cœpimus scan-  
 dere , qui non quod arduus , quod acclivis , & difficili  
 via sit infamem vulgo esse affirmant , sed quod num-  
 quam careat latronum frequentia . Vidimus in hoc tra-  
 ctu in sinistra ora amnis Moravæ versus Danubium duos  
 olim nobiles Comitatus Branicievo , seu Brancio alterum  
 vocatum Hungaris , alterum Cuciævo excelsa monte præ-  
 ditum , cujus etiam partem præterivimus . Montis inde  
 Lucavizæ trium ferme milliarium jugum jam ut dictum  
 est initum , & prospere superatum : descendimus ad Ja-  
 godnam oppidum positum in planicie rotunda , spaciofa ,  
 & corona prope lenium montium , hoc excepto Luca-  
 vizæ , circumdatum gaudet optimi foli , & pulcherrimi  
 situs conditionibus , & amne Morava , cui in dextera  
 parte adjacet . Hoc in oppido domus erat Baly beghi  
 cognomento Kuciuk , qui Stephanum Mailadum frau-  
 de Petri Moldavorum Vaivodæ interceptum in Tur-  
 ciam

ciām captivū abduxerat. In quibū domibū, quā jam fatis collapsæ, & desolatæ fuerant, ea nocte hospitaci sumus.

Augusti quinta movimus Jagodna, usque ea die facilis via, sed æstu perquam molestissimo, ad pagum Rasgni nuncupatum promovimus. Qui pagus situs est in vi milliario a Jagodna sub colle nemoroso, dictusque incolis Rasgni, hoc est veruta, quod eo loci propter duorum montium arctiorem invicem concursum postremi Rascianorum Principes, dum incursionibus Turcarum intime etiam pro foribus Zmiderovii, ultimæ suæ ditiosæ perfugii validius premerentur (quod Lazari temporibus fuisse memorant, quem ab Amnrathe magno Turca constat esse occisum una die cum Milosso Kobilith) obicem desecatarum arborum ramis earumdem mucronatis, mutuoque nexu implicitis ac veluti veruta in adversos hostium incursus versis (Cervos appellavere veteres) objecerant; isque pagus tametsi antea alio nomine fuisse prædictus, postea tamen crebris hostium irruptionibus vastatus ac deletus est. Successu inde temporis, quo jam subjugata ea regione Turcis parebant omnia, idem per veteres colonos restitutus quemadmodum mutarat dominum ita mutavit & nomen, dictusque est ab his cervis in verutorum formam fastigiatis Rasgni, quod vocabulum Illyricum est.

Proinde hoc primum loco, hospite nostro nobis referente, didicimus viam qua pergebamus stratam esse in Romanum morem, & Trajanam appellari, sumereque initium apud Belgradum, & ad Constantinopolim definere.

Miratus sum tanti Imperatoris memoriam adhuc apud tam rudes barbaros superesse. Verum non animadversa hac via a Belgrado ad hunc pagum, vel quod sit alio translata, vel terra obruta, diligentius illam observavi de.

deinceps, & comperi rem ita esse. Porro eadem via constrata est lapide non quadrato neque grandi sed mediocri, eoque qui ubique obvius fit. Ejus autem latitudo ix est passuum soliti humani incessus, nec alibi usquam partem vel frustum illius integrius, & exactius vidimus quam in exitu ab oppido Nys, quod erat longum passus circiter CXL. In locis aliis modo a dextra, modo a sinistra, frustim occurrit, apparetque per intervalla, quod partim obtrita, & disiecta sit, partim luto obruta, & fruticibus hausta est, adeoque tam nobile, ac perpetuum opus male est intellectum, ut etiam vitetur saeculi hujus viatoribus, neque alio viatore quam pedite calcata, idque imbrium dumtaxat tempore.

Sexta inde Augusti, trajecto jam, & a tergo bis reliquo amne Morava, venimus ad oppidum Nys, quod olim Nessus vocabatur, & fuit non obscura Civitas. Nunc mercatorum tantummodo frequentia, ruinarum aggeribus, & prostratae, ac late jacentis Urbis cadavere memorabilis. In qua quæ veterum Romanorum elogia lapidibus insculpta reperi, dedita opera vestigata, & transcripta hic subjunxi memoriae causa, & tuæ benevolentiæ gratia.

( i )

( ii )

I. O. T. M. I. O. M.

CAPITOLI

NO EX BOTO P.

PRO. S. D. N.

NICA HERME

AVG. M. VLPI.

PRO SALUTE

MARTINUS STR.

DOMINI NO

CoS. LEG. VII. CI

STRI.

V. R. FUSCo. ET

DEXTRO CoSS.

-sb-

( iii )

( iii )

D. M.  
G. IVL. VINDICI  
VET. VIX. ANN. IX.  
ET AELIAE SERE  
NAE EIVS. VIX. AN.  
XXX. G. IVLI. HER.  
MOCORANICI

L. FLORUS VESTRI  
VS. ET TZITZIS  
LIBERTI. ET AELIUS  
FECVNDS CoS  
MVS. B. M. F. C.

( iv )

I. O. M.  
PRO SA. DD.  
NN. AVGG.  
AVR. GAIUS  
MIL. LEG. VII.  
STR. CoS. Pos.

( v )

D. M.  
VLP. AELIA  
NVS VIX.  
ANN. XXXV.  
ATILIAE INGE  
NUÆ CoNIVGI  
B. M. P.

( vi )

I. O. M. FVL.  
VET. IVN. REG.  
ET DEO DILE  
ET HILA RG.  
G. IVL. SERVAN  
DVS VET. ET  
FL. NVMISIUS.

( vii )

I. O. M.  
DEPVLSORIO

( viii )

I. O. M.  
PRO SAL. DD. NN.  
AVGG. MAR.  
VAES. MIL.  
LEG. III. STR. CoS.  
PO.

( ix )

DEABVS  
PLACDI. FAV.  
VLP. LAETUS  
.EVERSU  
EX VOTO  
PRO LIB.  
P.

( x )

( x )

( xi )

D. M. M.  
**C. AVRELI. RVFINA**  
 VIXIT ANN. XXX.  
**TOL. VALERIANUS**  
**CAPRINI CVL**  
**T. TORI. B.**  
**CONIVGI PIEN**  
**TISSIMAE FA**  
**CIENDUM CVRAVIT**

I. O. M.  
**CAPITOL**  
**INO DEO**  
**ULP. RVF. EX**  
**VO. PO.**

Plures & Inscriptiones ejusmodi, & alia scitu digna monumenta vetustatis hujus Urbis invenire potuissemus, si diutius in eadem nobis manendi, & liberius lustrandi facultas fuisset data. Nam passim & fundamenta veterum murorum e terra prominentium ostendit, & oppidanorum rara fere domus est, quæ aliquem non habeat lapidem Romani operis indicem. Verum non ultra ibidem immorati, quam tres ultimas ejus diei horas quo appulimus, & noctem insequentem, prohibiti interim etiam a comitibus itineris, ne pro arbitratu nostro vagaremur, vix hæc pauca corripiimus verius quam colligimus. Igitur omissis his redeo ad Nys, quod deinceps Neffum cum antiquis nominabo, sicutumque ejus pro virili parte mea describere conabor, sed paullo posterius, ubi prius totius hujus ipsius Noræ qua processimus a Belgrado positionem demonstrabo, consideratis montibus, campus, fluminibus, & aliis quæ hoc facere videbuntur; sumeturque hujus considerationis initium a Scardo Monte, qui juxta v Tabulam Europæ Ptolemai junctus est ab occidente montibus Bebiis, a meridie vero Orbello, ne ulterius commemorem ab usque

ipsis

( x )

ipsis Pyrenæis , a quibus omnes sumunt originem qui Catena Mundi appellantur , quod uno ordine ab occasu in ortum proiecti donec Scardum attigerint , inde a Scardo ad meridiem dueti in Pontum supra Mesembriam civitatem desinunt . Cæterum ubi Scardus a Bebiis contiguis recesserit , quicquid est per Dalmatiæ regiones , per Bosnam , Herzegovinam , & demum in reliqua ejus plagæ Illyricæ montium usque Belgradum , & Zmiderovium , & medios cursus fluminis Moravæ , hoc totum Scardi est , teste eodem Ptolemæo in Tabula xx. Et hucusque , quemadmodum antea dixi eum ramos per tot regiones extendere , progressus , Danubiumque in orientem prosequitus , non ausus forsitan cursu cum eodem certare in meridiem sese flectit . Ductus inde recto margine per xxii ferme nostra milliaria advenit ad Orbellum , sed minime illi adjungitur , amne Morava , quem diximus Moschium veteribus suis appellatum , prohibitus . Ortus enim hic Morava e radibus Scardi in regione occidentis in orientem primo vehitur , eoque cursu Scardum suum hoc loci dirimit , quo qui Catharum sive Ragusium ire pergunt iter agunt . Mox in septemtrionem versus Jagodnæ oppidi agrum perfluit , & illine iterum ad ortum torsus saltum Lucavizzæ , qui in promontorii modum porrectus de nro Danubium sequi instituerat , circumvehitur , ac post in priorem rediens lineam paullo infra Zmiderovium , Danubio miscetur . Scardus vero hunc in modum cum amne Morava , & montibus qui ultra Moravam sinistrorum e Kuciævo exirent , continuoq[ue] tractu cum Orbello quadamtenus , & cum Hæmo donec in eundem desinunt in inferiore Mysia magnis campis , & fertilibus interjectis , quos medios Trajana via insidet , hic coactus desinere nobis & de Orbello , & de oppido Nesso dicendi latius causam fecit .

Sed, & Orbillus non ultra XVIII millaria verlus eandem plagam recta linea progressus Izcare amne, qui Ptolemaeo Ciabrus dicitur, a coniunctione Hæmi prohibetur. Verum ad Nessum redeo.

Civitas olim fuit non incelebris, si & situm ejus consideres, & ruinarum cumulos; eique fuit nomen Nesso secundum Ptolemaum, ab amne Nesso, qui eandem positionem seu cursum habens quem etiam Morava oritur in Orbello monte qua est meridiei oppositus, flexusque inde ad orientem per interstitium quo Hæmus, & Orbillus disjunguntur per oppidum Nessum labitur paulloque spatio unius milliaris illinc cursu proiectus, condit se in Moravam non multo infra eas angustias, quibus Scardus ad Orbellum non est admissus.

Sub hoc igitur Orbelli initio situm est Nessum oppidum loco plano, & satis amoeno, nullo tamen decenti ordine vicuum distincto, & nisi mercatoribus abundaret, & antiquæ Urbis tanta vestigia haberet, vici specie esset.

Montium autem, quos dixi a Kuciævo Comitatu provenire, nosque Constantinopolim pergentes a sinistra comitabantur spatio largiore quam quos in dextra habebamus, nomina consequi non potuimus partim ob celeritatem itineris, partim ob barbariem incolarum, & quod non uno vocentur nomine. Verum longo tractu ab agro Sophiano ulterius cursu instituto promoti Hæmo junguntur, & in ejusdem etiam nomen transeunt, quod quum ad Hæmum pervenero pluribus enodabo.

Cæterum quod adhuc ad situm Nessi attinet, nec prætereundum mihi esse duxi, montes præfati quos dimis us nobis pergentibus dextra lœvaque existere, hoc eodem loci in rotunditatem quandam theatram longamque quantum duo millaria nostra circummagere possent

fent insimul coeunt, & addunt eidem oppido non exiguum decorem.

Proinde apud Nessum die etiam VII ob equorum latitudinem exacta, octava inde discessimus: emensique eo spatio, quod vix IV millia passuum faciebat, appulimus ad saltum Cunovizzam aetate nostra appellatum, qui ut est arduus & longus, ita & difficilis est praesertim curribus ob lapidum frequentiam, viæque angustias, crebrisque & nimium repente incurvatis gyris intersectas.

Hic saltus simili modo atque Lucavizza e Scardo instar promontorii protensum est ex Orbello in ortum, videturque etiam ipse appetisse conjunctionem montium eorum, qui nobis erant sinistrorum, cupiens latius evagari. Nesso tamen, & ipse ut Morava Lucavizza juxta Pyroth oppidum, & Arcem ejusdem nominis destitutam labente longius ab itinere nostro a sinistris repressus hic finem fixit Cunovizza. Nessus vero ulterius lapsus indit nomen oppido, postea ut jam ante diximus intrat in Moravam.

At nos ea die initia tantum saltus Cunovizzæ peragrati venimus ad Pagum Zuba Clyssura, merito & Bulgaris, & Rascianis Zuba Clyssura, hoc est sicca rupes nuncupata, qui locus & vilis, & egenus est. Ceterum hic primum quo ornatu decorant sese Bulgaricæ mulieres vidimus, isque nobis mire ut simplex ita levis & sane deridiculus visus est: nisi si hac ipsa simplicitate oppressam gentem a Turcis, & imprimis agrestem, vixque se homines esse agnoscentes excusabimus. Nec de veste eorum loquendum est, quæ est omnino villosa, aspera, & vilis, qualem fortasse gausapinam veteres habuere, tantumque manicæ & pectoralia indufiorum crassiore serico, eoque versicolore variegata. Capitis, & colli, & aurium monilia perpendenda diligen-

tius. Crines a fronte discriminatory facta intenues, & crebras tricas colligunt, duetoque earundem tricarum sic ordine collectarum margine per tempora, & supra aures, additaque etiam illis ex staminum laneorum in crinum colorem tintorum quædam quasi supplementa eisdem adhibent, ut appareant copiosiores rejiciunt in tergus, & in unum quoddam velut rete astringunt, & demittunt infra cingulum. Hoc virgines. Maritatæ coactis crinibus altius, vittæ postrema varie sericata demittunt loco crinum ab occidente. Reliqua quæ dicentur utrisque communia.

Pileos habent ut lances ex tenuissimis virgulis factos ita ut ea pars, quæ apud nos caput obtegit & superne est clausa, apud hos aperta est summoque capiti imponitur parte latiore in cœlum versa, perinde ac si vestis fimbrias humeros supra attolleret, humeralia ima tenerent nudis omnino crinibus subtus apparentibus, adeo ut quiddam simile est Ægyptio diademati, quod in disci morem planum est. Cæterum hic ipse pileus lineo, & candido panno omni ex parte circumvolvit, ornaturque ubique exterius partim assutis partim appositis quibusdam veluti nummis plumbeis, æreis, vitreis, & id genus multis aliis ex pellucentibus rebus, nihil aliqui, sed ad omnem motum crepitantibus. Ad hoc & capiti nihil non ex omni genere rum florum tum herbarum, quæ habent quippiam gratiæ peculiaris. Uvas præterea, & glandes, & bacchas, & similia induunt in circuitum. Aures vero quaterno, & quinno loco vulnerant punctum, appenduntque eis plumbeas inaures, pondereque longe graviores quam valentes pretio. Habent simili ex materia manicas, & dextrocheria; sed seniores femminæ, & promiscue tam virgines quam vetulæ anulos æneos plures; ima omnino internodia illis onerata. Cæterum gerunt & torques, sed non aureos, vel argenteos, in quibus præcipuum locum habent con-

chæ quædam marinæ diversi generis, post lorariæ baccæ nostri moris e vitro factæ. His succedunt nolæ, quas nos alligamus accipitribus; has sequuntur nummi calculatorii ærei Rhenenses, & frusta thôracis hamati ex chalybe, & demum quicquid uspiam lucidi occurrerit torquibus apponunt, & collo pluribus spiris aggerunt. Nec uno ejusmodi torque contentæ quæ sunt in pago magis insignes duos, tres, & quatuor geminant, adeo ut quamplurimæ nobis obstante de nobis mirabundæ, & nos de illis, de que his eorum ornatibus: una quæslivit an nostræ mulieres tam pulchre ornarentur? Beatæ quæ nostros luxus ignorant, & suos in rebus quæ sunt nullo impendio ponunt, nec minus sua paupertate contentæ sunt quam nostræ suis divitiis.

Nona die Augusti, præterito, & viso tantum sub finistris montibus præter quos Nessus labebatur oppido Pyrotto, Arceque ejusdem nominis vetusta, & destituta, quæ eujus fuerit antiquitus incolæ dicere nesciverunt, ad pagum Czarevo Brod nuncupatum venimus, de quo dicendum nihil est.

Decima post relicto pago Czarevo Brod simili difficultate viæ usi sumus qua in saltu, nisi quod ascensum non habuimus. Paucis enim inde evesti passibus in angustias duorum montium, quæ quasi claustra saltui jam desinenti subjecta sunt, devenimus. In quibus præter horrorem inferne lapidum, & aquarum a lateribus montium, & ubique nemorosam solitudinis ingratam speciem nihil carentes, hisque ipsis angustiis VI horarum dato itinere tandem in patentes campos pervenimus, qui montibus collibusque in lata spatha hinc, inde per latera excurrentibus, & multis quidem cincti, quamquam majori ex parte faxeis, calvis, & nudis sylvis agros nec gratos admodum præbent, nec frequentes incolarum pagos. Esto quod illic mortales solo pecore, & satis vitam traducunt:

ii tamen miserrime premuntur, & expilantur a viatoribus Turcis, unde longius etiam a via publica sedes habent. Quo factum est ut illa die egregie jejunaverimus, donec ad pagum Bellizam perduicti sumus. Hinc vero die VI Zophiam, ubi non nisi hunc ipsum diem, & insequentem noctem traduximus.

Est autem Zophia campestris civitas sine muris late & in longum patens, ac frequens aequae habitationibus ac domorum copia, & Bulgarorum ingens emporium multo mercatorum concursu celebrata, sita in plano, sed paullo edito loco, sub monte Vitossa incoliso nominato, ac in Orbelli montis fine habito, qua idem Orbellus ad V milie passus ulterius progredivs Hæmo, ac Ciabro fluminis propinquat.

Domus in ipsa nulla est insignis, nulla ferme lapidea; homines humiles & humo tenus tectæ & ligneæ; & si quæ sunt nobiliore structura ex formato quidem lapide factæ sunt sed incoeto, & cuppis tantum coctilibus operatae. Templis dumtaxat ornata est Turcicis, & eminentibus eorum columnis cochleis, quæ in campanilium nostrorum morem evectæ eminentius, præbent speciem Urbibus non indecoram; ex quibus sacerdotes eorum horas diei, & orandi tempora clamoribus denunciant validissimis tam die, quam nocte. Nec aliis in ædificiis molestiorem curam ponunt quam Templorum, Balneorum, Pontium, & publicorum Hospitiorum, quæ Kervezarai vocant, quasi Caravanarum Palatia; contenti in reliquum ab cœli tantum injuriis tutos esse. Temples, & Balnea, & Pontes diligenter, & æternitati, ex quadrato lapide quadrata construunt, eaque rotundis plumbatis Cubis cooperiunt forma a Græcis & a Romanis accepta. Nec frontem Templorum, hos est sanctuaria, orienti, sed meridiei opponunt, cochleas Africo, quæ est plaga inter meridiem, & occasum; easque ibidem XII numeravimus.

Ur-

Urbem autem hanc vetustam esse & Ulpianum olim fuisse vocatam vel ex Ptolemæi positione judico, quam in Dardania ponit, cuius Dardaniæ nulla jam exstitit memoria. At Zophiæ apparent antiquitatis vestigia ex ruderum copia, quum etiam numismata Romana eruat, & mœniorum non paucas ostendat particulas. Est præterea in ea Ædes sacra Græcæ structuræ, & præstanti magnitudine, quæ nunc in usu nullo est, paucaque loqui de illa cogor, quia videre non vacavit. Ceterum hoc tantum incolæ retulerunt. Græcum fuisse Imperatorem qui quum tutelare Numen una cum uxore divam Sophiam habuisset, maritus Constantinopoli, uxor Ulpiani Templa illi condidere, ab eoque tempore Ulpiani suppresso nomine Zophiæ successit. Fluvium autem habet bipartito divisum propter molendina, quæ intra Urbem posita sunt; & ab ipsa Urbe nomen obtinuit, qui magnus non est, nisi quum imbribus intumescit. Nos alterum ejus cursum in Urbis limine sicca rotta pene, alterum parvo ponte pertransimus, oriturque in jugis Vitosæ montis, & in Ciabrum cadit paullo infra Civitatem.

Verum hinc xii profecti Augusti ad milliareuum Pannonicum in Ciabrum amnem antiquis, nobis Izcarem dictum incidimus, ibidemque initium Hæmi montis attigimus. Porro ortus Ciabrus in Orbello ad radices meridiem spectantes in orientem primum labitur, mox in septentrionem versus Orbellum ipsum ab Hæmo dividit, & in Zophianos campos erumpens sub ipsa Civitate currit præbetque non alia illi commoda quam piscium, idque citra magnam copiam. Post paullo infra Alutæ ostium e Transalpina ab Transylvania venientis Danubium ingreditur.

Izcarem autem Ciabrum esse non difficii conjectura assequutus sum. Primum quod juxta positionem in Ptole-

mæo hujus fluminis, aliud flumen nullum est, deinde quod moderni quoque incolæ hunc ipsum amnem, & Urbem Zophiam terminum ponunt inter Myssiam superiorem, & inferiorem cum Thracia, quemadmodum & Ptolemæus lib. 111 de situ harum Provinciarum scribens, & Izcarem vocant, ut jam diximus. Cæterum flu men Chrysio nostro Transylvano, quem a Sebego Sibesianum appellant Chrysium, pari est magnitudine, sed nisi interventu imbrium ac resolutione nivium. Alioquin ubique facile trajicitur citra & pontem & navim. Repente tamen quum incrementum acceperit surit, adeoque rapidum ferunt, ut ne lapideum quoque pontis jugum admittat, eaque causa ligneo Zophiani conjungunt. Verum quotannis, eo excusso identidem illis reficitur.

Ab Izcare ad Tarnavo pagum promovimus, qui est ad radices montis Hæmi, ut consendi incipit, habetque rivum exiguum, & ignobilem nec in tanti ut in literis ponatur; quamquam quidem in Nova Tabula apud Ptolemæum apposuerint, pinxerintque currentem in Danubium quum in Izcarem influat, addito illi etiam lacu in medio, quum nos ne ipsum quidem consperxerimus, tanta siccitate exaruerat. Monte præterea imminente consenso, & incolis perquisitis diligenter de hoc ipso lacu, nec visu eo latissime protenso assequuti sumus, nec incolarum relatu, quem dixerat lacum inibi esse nullum.

Ex Tarnavo ad Hæmi primos colles accessimus, qui adeo asperi fuere & incommodi, quamquam non ardui & eminentes, ut in superandis non sine periculo rotarum per duo milliaria sudaverimus donec ad Vaccharel pagum cum occidente sole evasimus, ubi ampla est planities alpibus interjecta, & pluribus circum per radices earum pagis coronata. Nec aliter eadem planities

ties fuga est quam area quæpiam in Civitate, adeo  
 grata videtur aspectu. Cæterum pagani hujus loci refe-  
 rebant nullos prorsus priscis temporibus ibidem colo-  
 nos habitasse propter latronum frequentiam, eaque et-  
 iam causa viatores quoque in agmen coire oportebat  
 quum illac erant transituri. Postea, quo tempore Bel-  
 gradum nobis ademptum est, Passæ cujusdam industria  
 Solymanus Princeps incolas collocavit, neque id solum  
 hoc loco, sed per totam eam viam qua Hæmis juga  
 transcenduntur. Et insuper passim locis magis infami-  
 bus vicinos Pagos jussit custodiendi gratia excubias ap-  
 ponere, quas singuli pagani ordine inter se partiuntur  
 stipe e communi exhibita. Hæ autem excubiæ sic agun-  
 tur. Viæ publicæ locum in montibus deligunt eminen-  
 tius imminentem sic, ut & viam ipsam habeat sub oculis,  
 & latissime quaquaversus commode possit prospice-  
 re; in eoque casula straminea constructa unus dumta-  
 xat homo excubat. Nec aliud ejus officium est, quam  
 ut ubicumque vel in via vel in sylva viderit homines,  
 tympanum pulsat, innuitque eo signo hominibus me-  
 moratis animadversos esse ab excubiis. Jam si forte  
 fortuna quopiam loco latrocinium fuisset commissum,  
 ejusdem loci mox incolæ sub quæstionem coguntur, &  
 nisi aut fassi fuerint latrocinium suos homines commi-  
 sisse, aut ostenderint quinam commiserint, æque pœnæ  
 multantur ac si ipsi revera commisissent. Quo factum  
 est ut alpes illæ secure hoc tempore superentur, etiam  
 paucis comitibus: dum quilibet pagus, ubi antea ipse  
 latrones emittebat, nunc metu pœnæ territorium suum  
 custodiat. Sed jam ad reliqua.

Tertia decima die post a Vaccharel Pago moti pri-  
 mum memoratam planitiem percurrimus; inde pedeten-  
 tiam in colles, mox in montes alios aliis altiores inci-  
 dimus, per quos in summa enitentes conatu maximo

tandem ad ardua , confragosa , & sylvestria prorsus eveniti , ægre in cacumen , & summa juga die illa tota itinere continuato pervenimus : ubi duo Pagi sunt uno milliari nostro inter se distantes , quorum priori Zuhā Clyssura , Vetren posteriori nomen est . Et in utroque extant quædam vetustatis monumenta . In Zuhā Clyssura primum in ipso Pago porta eminet operis lateritii simplex , & supra quadratos lapides sita , magnitudine que ampliori multo quam pro usu nostri saeculi . Extra Pagum ad duos sagittæ jactus Arx fuit , quæ in acuto colle condita , qui ab ima valle duorum montium altissime a lateribus viæ impendentium mediis assurgit . Manifeste apparet tutelæ cujusdam causa castellum ibidem factum fuisse , quum & angustiæ illæ natura fortis sint , & alia in parte nulla commodius via deduci potuit vel veterum judicio , qui si alibi quopiam loco mitiora juga reperissent , non est dubium quin studiissent commodis viatorum .

Sed in Vetren quoque Pago simili in jugo iisdem montibus interjecto quadratae Arcis extant ruinæ super etiam terram evenitæ , cuius longitudo XL passibus , totidem latitudo protendebatur ; muri crassitudo trium fuit . Nec alia ædificiorum vestigia vidimus nisi per pagorum loca , quæ late circum ruderibus erant constrata . Et credibile est Hæmi hic fuisse claustra , quæ ad repellendos hostium transgressus fuere communita , quemadmodum de Thermopylis , de portis Caspiis , Albanis , Zagri , & similibus legitur apud Geographos . Verum incolæ nostri ævi , ignari bellorum veterum , quæ inter Græcos , & Thraces , Macedonas , & Romanos successivis temporibus per eas Europæ partes viguerunt , ad sua tempora cunctas accomodant , & trahunt ejusmodi vetustates . Unde & Clyssuræ Pagum Clyssuram alii Novak debeglie vocant , alii Marci Kraglievith Regu-

lorum Græciæ , eisque , quoniam per tot successiones in his regionibus dominiorum ipsi quoque illas tenuerunt præsidis , cœca vetustatis barbaries originem etiam locorum adscribit . Sed fallitur , quia veterum est utrumque opus . Obscurum tamen judicatu Græcorum , an Thracum , an Macedonum , an Romanorum existat , quod argumentum nullum aderat , ex quo id perspici potuisset . Nisi si Philippo patri Alexandri Magni ascribatur , qui Philippos , seu mavis Philippopolim , aut Trimontium ( trino enim nomine utitur ) Urbem proxime condidit , idque partim contra hostes , partim propter utilitatem vectigalium , qui a mercatoribus accipiebantur , qui secure ea via utebantur ex Thracia in Myssiam , & hinc in Thraciam freti ejusmodi præsidiis commebant . Nec nos puto fallit ista conjectura : Strabo etenim in viii de hoc ipso facit mentionem , quum de Strymone amne loquitur , ad quem Philippus eandem Urbem considerat . Ejus verba hæc sunt . „ Quoniam Philippus eximio captus studio ut hæc sibi loca vendicaret , maxima ex metallis , & reliqua locorum ubertate vectigalia constituit . „ Ego hic Pantalam municipium fuisse arbitror ; quantumque ex Ptolemæi positione possum colligere , affirmare etiam audeo . Aliorum tamen sit judicium , qui proprius rei cognitionem accesserunt : nosque pergamus ad alia .

Dum hæc lustramus in hoc jugo loca , cernebamus a dextra nobis Hæmi altissimos vertices ingentibus circa ubique aliis montibus adjacentibus , & tantam altitudinem perinde atque humeris sustinentibus , & attollentibus , quæ maximis nebulis tenebantur . Cogitavi illic esse summos apices memorati Hæmi , quia ex eo jugo quem jam superaveramus nulos videbamus eminentiores . Rogavi paganos quoniam nomine tam illi vocarentur montes adeo in cœlum ardua , horridaque altitudine

contententes quam ille, in quo tunc eramus. Responde-re hunc Knissavam, ex illis alios Thecchyam alios Vas-lizzam vocari, utrinque ambigue; adeo hic agrestes mor-tales degunt, qui, quantum & ex iis & ex aliis cognoscere potuimus a quibus locorum nomina exigebamus, ne terrarum quidem quas inhabitant notitiam habent. His igitur contentus haec tenus nominibus, quia mora non dabatur perquirendis verioribus destiti ab hac mo-lestia, & paganos ablegavi. Inde conversus per me ad considerandum montis totius statum juxta ea quæ jam pridem & in Tabulis videram Ptolemæi, & in aliis le-geram Geographis, perspexi multa vera esse quæ de illo scripserunt veteres. Non prætermittam tamen quin, & ipse aliquid de eo mitiam in literas, idque non propter ipsum montem potissimum, sed etiam propter alia quæ ad descriptionem attinent nostri itineris.

Igitur ubi hoc jugum Knissavæ superatur, ad Va-tren Pagum appellitur, qui locus ultimus est hu-jus transitus, ex eoque brevi lenique clivo in Philip-picos campos descenditur, & ad Strymonem amnem ac-ceditur. Mons ipse hoc loco ab ipso summo vertice, de quo supra memoravimus, pandit se velut in duo brachia, sinistroque orienti exposito, in Pontum dirigit, dextro vero primum meridiem, mox occidentem petit ad usque maris Ægæi litora. Ipsa summitas verticis nobis a tergo linquitur, quam quidam Geographi in tantam al-titudinem elatam esse memoriae prodiderunt, ut ex eo Pontus, & Adria, & Ister, & quicquid locorum inter-jacet conspiciatur. Quod quum Polybius quoque His-to-ricus id ipsum confirmaret, Strabo in VII minime cum vera dicere coarguit, dicens id esse impossibile propter multas aëris densitates, quæ obscurant aciem nostri vi-sus, & propter spatium nimis longum. Multis tamen persuasum est id ita esse. Unde & Philippus Deme-trii,

trii, & Persei pater hac opinione ductus Hæmum descendit, studio circumspiciendi regiones & loca, per quæ facilime rationes belli gerendi contra Romanos inire posset; quod Iudibrio non caruit, quamvis eximius Princeps vitare voluerit adjecto vulgatae opinioni suo testimonio. Lege Livium Libro x. Dec. iv.

Nos XIV Augusti digressi ab Hæmo campos Philippicos ingredimur, & currente nobis dextra Strymone fluviò vix duobus milliaribus confectis occurrit pons, tenui ut tunc erat tempus caniculae amni impositus, quo perspecto cura diligentí, dignum descriptione judicaví.

Ex quadrato lapide constructus longus est CXVIII passus, latus minus IX. Quinque habet fornices, medias III magnas, & altas, extremas utroque in cornu mediocres, & humiles; sed majorum duæ collapsæ trabibus erant reparatae, & quacumque fuit integer communii lapide stratus est, habetque a lateribus ex quadratis lapidibus ad umbilicum hominis erecta latera, quæ a casu tutantur transeuntes, dum conferti concursu interf se stiparentur, & præterea ut esset locus innitendi iis qui amnem cæteraque subiecta circum oculis prospectarent. In eo nulla visitur inscriptio; cæterum opus Turcicum est. Fluvius cui est impositus Topolniza vocatur, fluitque ex his Hæmi montibus, quos a sinistra in Pontum directos esse dixeram, moxque a ponte vix duobus millibus passuum lapsus condit se in Strymoneim.

Post occurrit oppidum Tatar-pazarciz barbaris dictum, quod Emporiolum significat, locus satis sordidus, & in celebriore sui parte stabulis armentorum, ac ferrariis officiis conturpatum; quo præterito, ad Pagum Govedar ripæ Strymonis junctum promovimus, atque ibi noctem consumplimus.

Die Augusti xv e Pago Govedar Philippo, qui & Philippopolis a Philippo conditore dicitur, præterivimus,

& ad

& ad Pagum Cognitus nominatum promovimus, quia ibi eō die & nocte hospitari malo conductorum ingenio non fuimus permitti. Medium tantum pertransivimus. Verum, quantum parvo spatio temporis eandem Urbem perspicere potuimus, quod prætextu annonæ vespertinæ comparandæ extorsimus, & pauxillum in altera ejus parte qua exieramus moram traximus, pulcherrimo in loco, in latissimis campis, & fertilissimis sita est. Turcicis vocatur Philibe: Thracibus, Bulgaris, & reliquis linguae Illyricæ hominibus, quibus est possessa potissimum dicitur Ploudin. Romani etiam Trimontium nominaverunt a tribus monticulis, qui eo loci pene rotundi, in acumen evesti, & junctim directo ordine positi in patienti planicie perinde ac scopuli quidam e mari eminent; adjacet his quartus etiam, sed non æque editus, isque in linguae modum porrectus, ac sinuatus ea ex parte qua Strymonem respicit, & Urbem recepit, in dextro latere Strymonis sedet una cum aliis. Urbs autem ipsa magnum occupat spatium, nec disjectas habet domos ut pleræque aliæ, quamquam hortis immixtas, & latiores quam altiores pro gentis moribus. Si quid insigniorum habeat ædificiorum, quod de omnibus Civitatibus Turcicis dicendum est, id Templa, Balnea, Sacerdotum habitacula, & publica Hospitia, quæ Kervenaz-ray nominantur, vindicant sibi. Cætera omnia humilia, lutea, & ligno commodata, non tamen conspicua. Eo vero etiam obscuriora, nec inhabitanda hominibus, quod in parte qua maxime oculos habere deberent cœca sunt, simul cum vicis, qui nullis fenestris illustrantur, stipati utrinque asseritiis parietibus ipsarum domorum tecta exæquantibus. Quo sit ut quum per vicos ambulas solitudinem dices, nisi quis tibi occurreret, adeo ex fenestris nemo explicit.

Accolunt Philippopolim præter Turcas Bulgari, &

Rasciani, sed ut servitia habentur. Non tamen a religione Christiana prohibentur. Unde quum in hortis ad Civitatem, eadem jam pertransita, pauxillum ut supra dictum est praetextu comitibus injecto constitissimus annonæ gratia comparandæ, quod pagus quem petebamus dicebatur laborare penuria, in Rascianum hominem incidimus, quo interrogato quomodo vocaretur ei genti proximus mons, quem jam ante dixi ab Hæmi vertice prodiisse, & dextra nobis Ægæum mare petere, respondit Rupzcam vocari. Inde numquid iisdem in locis sciret extare veterum aliquas ædificiorum ruinas, extensa manu ostendit frusta fornicum Aqueductum in longum spatium, qui ab hoc ipso monte Rupzca sub monticulis illis tribus in eum usque collam quo sedet Civitas erant inventi. Miratus hoc subjeci: & quid opus fuit aqua peregrina, quum Urbem Strymon ac suburbia illius interfuerat? Respondit, audisse se a majoribus nunquam fuisse idoneum Strymonem ad potandum; nec modo esse posse si tunc non fuerit. Retulit post, quum de religione quereretur, nihil eis de hac decessisse, nisi quod qui eam sustentare, & propagare deberent, paullatim in Turcicam degenerent deficientibus senibus, & pubertate liberioris status illecebri pellecta; & simul ostensis digito tribus monticulis, & quartum sedem Civitatis quo loco Philippus Arcem collocaverat, cuius apparent vestigia, eo inquit, in utroque vertice (duos e tribus demonstrando) duo olim fuere amplissima Monasteria; sic enim parentes suos a majoribus accepisse: illudque, quod in primo fuerat monticulo, quum primum Philippopolis in Turcarum potestatem devenerat sine ullius tempestatis, & terræmotus intervenitu hyatu terræ ipso in vertice patefacto haustrum fuisse Monasterium. Et nunc eo loci cavum extare, ac yideri murorum submersorum summitates, ipsum.

ipsumque Monasterium Divæ Mariæ Virgini fuisse dedicatum. Monachi intus existentes expertes fuisse periculi.

Aliud, quod in Arcis loco erat, quum jussu Turcæ demoliretur quo ejus ruinis aliud quippiam ædificii condederet, LXX ex iis, qui sacrilegis manibus domum Dei frangebant, subitis mortibus per intervalla dierum dum instant operi fuere prostrati, miraculoque apud Christianos utrumque habitum, & mandatum memoriae numquami interituræ sua gente incolumi. Si in Urbe moram fecissemus non est dubium quin plura cognoscere potuissemus, quamquam quidquid uspiam inibi veterum Ædificiorum Turcæ repererunt, & in hodiernum diem usque reperiunt id totum in Templa, Balinea, & publica Holpitia convertunt.

Vicus quo Civitatem transgressi sumus utrinque mercatorias stationes, promiscueque omnium artifiorum officinas, & cauponantium tabernas cum macellis, & hortensium rerum cumulis erat refertus. Accesserat quod & pavimentum ejus altius quam pro urbana munidie, & conditione temporis adeo erat luto obrutum, ac foedatum, fuligineque ac fumo omnia circum de-nigrata, ut obturatis naribus præterierimus partem ejus non ultimam.

Alluit autem Philippopolim Strymon fluvius, qui ortus in Hæmi montium jugis, quo loco idem recedit ab Orbello, quæ juga antea dixi summa haberi, labitur per campos Philippicos lato alveo, aquis limpidis & piscofisis, primumque ipsam Urbem Philippos sive Philippopolim attingit dextro latere suburbis ejus in sinistra relictis, ubi ligneo ponte, eoque longo transitu. Inde remotius ad sinistrum latus a via publica evagatus, tribus milliaribus nostris postea in eandem revertitur, in qua Muztaffæ ponte lapideo, eoque præclarî operis con-

jungitur. Inde circumvectus eam oram collibus exultantem abit dextrorsum versus montes Macedoniarum, hosque legens quamdiu in conspectum Hadrianopolis procurerunt, & cursum in Austrum retrorsere ad Ægæum mare usque succedit Urbi Hadrianopolis quamproxime, eoque loci recepto amne Toncia ( quem putarem Nestum esse, & Ptolemæo Tonzos dictum ) ab Aquilone ex Hæmo monte descendente, ac secante ima Civitatis qua ad suburbia conjungitur, in meridiem labitur, donec ad Ægæi maris appulsus littora paullo supra Urbem Aretusam mari miscetur. De quo postea.

Verum ne quid omissatur, quod ad institutum opus pertineat Pontis memorati descriptionem faciam.

Pons longus est passus CCCXXV, latus viii, altus sesquiasta velitari in medio ubi est altissimus; quod ad utrumque caput in declive pendet propter ascensum ejus faciliorum, & pluviarum ex eo decursum. Fornices habet XXI, a mediis alias aliis omnes minores. Cætera ut alius, qui est in amne Topoliza ultra Philippopolim, nisi quod ripæ alvei Pontis cornua sustinentes, & dextra, & sinistra quadrati lapidis muro quatuor cubitorum altitudine quadamtenus emunitæ sunt, ne vi aquarum arrosæ solvendi Pontis causa præbeatur.

Prospectum est, & pilorum firmitudini & aternitati. Sub fornicibus quanta est Pontis longitudo fundus fluminis supra, & infra ipsum Pontem confixus est creberimis vallis, & glarea exaggeratum in tumorem non impense altum, sed eo tenus quo quum subita fluminis incrementa ingruerint fundamenta pilorum ejus denudare, ac subruere non valeant. Ab utroque autem latere vicum habet, & viæ Trajanæ jungitur, quæ summo studio tenetur, & identidem reformatur.

Vocatur autem Muztaphæ Pons ab auctore Muztapha. Hic enim Bajazitti Principis temporibus gravi jam

senectute effetus, & opulentus, quum expiandorum peccatorum gratia pro more gentis suæ vellet publico commodo opus aliquod condere, Ponte decretiv Strymonem jungere, idque eo loco viæ publicæ quo, & difficilem & periculosum transitum viatoribus exhibebat. Aggressus itaque opus magnæ & molis, & impensæ magna mente illud perfecit, facileque cum Veteribus certare potest.

Cæterum Philippenses, ad quos Divus Paulus Apostolus scribit, hujus Civitatis erant incolæ, in cuius campis pugnavit primum Julius Cæsar cum Pompejo, deinde Augustus, & Brutus cum Cassio, tantaque tumulorum per totos latissime campos erectorum cernitur copia, in quamcumque partem oculos verteris, ut numero eos comprehendere non facile possis. Nec dubium est vel præsentium indigenarum testimonio Ducum ac Virorum illustrium fuisse sepulturas. Qui mos unde originem hunc in modum sepeliendi homines summos acceperit nunc non succurrit mihi. Revera tamen sepulturas esse licet & ex Virgilio cognoscere. Ait enim in III de funere Polydori:

*Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens  
Aggeritur tumulo tellus.*

Et in VII de Cajeta nutrice Æneæ:

*At pius exequiis Æneas rite solutis,  
Aggere composito tumuli, postquam alta quierunt  
Æquora &c.*

Est & in VI simile, quod huc facit, de Palinuro:

*Quod te per cœli jucundum lumen, & auras,  
Per genitorem oro, per spem surgentis Iuli,  
Eripe me his invictæ malis, aut tu mihi terram.  
Injice &c.*

Ubi sepeliendis corporibus, dum ejusmodi tumuli excitari inciperent, primus terram cadaveri injicierat qui esset proximior consanguineus, vel uxor vi-

ro, vel vir uxori : aut si nullus horum adesset, & res ageretur in exercitu, Dux hoc officio pietatis, aut qui dignissimus extitisset, vel amicissimus fungebatur. Unde & hic Palinurus ab Ænea, & apud Ovidium Penelope exigit a marito ut Telemachus filius communis utriusque extrema justa persolvat, quum dicat:

*Ille meos oculos claudat, & ille tuos.*

Verum, priusquam exeam e campis Philippicis, dicendum mihi est nonnihil de hac ora terræ debeatne Thraciæ, ac Macedoniæ adscribi. Ptolemæus enim libro III Tab. Europæ x Strymonem amnem oriri in Montibus qui Thraciam dividunt a Macedonia. Strabo quoque, Ptolemæo vetustior, idem videtur sentire in VII Libro. Trans amnem, inquit, Strymonem ad Ponticum ostium, & Hænum montem cuncta sunt Thracum, excepto litore quod Græci tenent. Nec dissentit Solinus, qui ait inter Macedoniam, & Thraciam Strymonem facere terminum, easque terras, ab Hæmo irrigare. Ad quam sententiam Lucas etiam Evangelista noster in Apostolorum Actis cap. XVI accedit. Navigantes autem, inquit, a Troade recto cursu venimus Samothracem, & sequenti die Neapolim. Inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ Civitas Colonia. At persistante firmiter Ptolemæo, in sententiam it idem Strabo, quum eodem ipso libro VII dicat plerosque totam a Strymone plagam ad Nestum usque amnem Macedoniæ ascribere, quo fortasse Tonciam amnem Nestum vult esse. Solinus, qui etiam Polyhistor, Rhodopem appellat Mygdonium quia est provincia Macedoniæ Thraciæ contermina; & Aristoteles etiam hoc adstipulatur quando dicit, extare in campis Philippicis Macedoniæ aurifodinas quamplures. Mela vero Pomponius scripsit Thraciam montes attollere Hænum, Rhodopem, & Orbellum, quum tamen totus Orbellus Mysiam insideat. Quo

igitur pæsto in utramque partem id probari possit equidem non video, præsertim in hoc cursu itineris, & in tanta non solum novorum, sed etiam veterum auctorum diversitate sententiarum. Unde haud dubie palam est veteres quoque multa scripsisse, ex relatu & lectio-  
ne priorum, non experientia propria. Ideo nec ipse su-  
dabo in hoc curriculo, quum & incolæ etiamnum va-  
rie de hoc sentiant, aliisque Macedoniae alii Thraciae  
oram hanc attribuunt; & facile futurum arbitror ut  
harum Provinciarum veterum termini confundantur, &  
excidant si hoc Imperium majora sumet incrementa.  
Sed jam ad Strymonem, post quem suo loco etiam de  
aliis hujus Thraciae partis amnibus Tonza, Nesso, He-  
bro, Melani, Arzo, Athyra, & Bathynia attingemus  
quædam non indigna consideratione, multisque, & ve-  
teribus & novis præterita; qui amnes hoc ordine ut  
nos posuimus Strymonem sequuti usque ad Promonto-  
rium Chrysoceros appellatum, in quo situm est Byzan-  
tium, cursum in mare tenent, præter Tonzam, qui mi-  
scetur Strymoni. Quare ortus Strymon in Hæmi mon-  
tis radicibus eo fere ipso loco, in quo recedit ab Orbello,  
ab Izcaris quoque fonte, quemq; Ciabrum veteres  
vocavere, ut jam a nobis antea dictum est, haud mul-  
tum disjungitur, eo modo quo a Rheno Danubius. Si-  
mulac autem caput exerit tenuem admodum referunt  
esse incolæ, sed quod mox diversis rivis ex Alpium  
hinc inde jugis prolabentibus auctus fit aliquanto alienis  
aquis amplior, quod & Pomponius Mela testatur.  
Vetus inde per multos convallium anfractus aliquot  
locis per montium sinuationibus dilatatur, hoc ipum  
Plinio quoque affirmante, qui dicit eum prius in vix  
fundi lacus quam cursum dirigat. De quibus tamen la-  
cubus nihil nobis affirmavere incolæ. Nec his angustiis  
longiore spatio detinetur quam bidui, summis eidem

Hæmi

Hæmi jugis incumbentibus, quæ Philippo olim Regi Macedonum consensa, curiose etiam peragrata sunt. Eius latus dehinc e montium claustris jugum, quod barbari Illyricæ nationis *Vetren*, nos ventosum dicimus, ut supra est memoratum, in læva dimittit. In dextra vero eos montes quos Vasilizam, & Zlavievi incolæ nominant, & ab Hæmo scissi amne Strymonē, nec disjuncti ab Orbello, ut in Tabulis videre est Ptolemæi, Philippopolim usque ubique eundem Strymonem comitati, postmodum per Mygdoniam ultimam è regione Thraciæ provinciam Macedonicam in Ægæum mare descendunt, qua Lemnos insula, & mons Athos, nobis Sanctus appellatus, eminent. Lapsus autem ab ipso usque fonte in orientem primis semper, & flexuosis progressibus, ubi primum prodit in plana ortum in tergo deserit, cursumque lato jam alveo, & multis aquis conspicuus in vulturnum per Philippenses campos dirigit. Per quos late, initio dextra ora viæ publicæ, sive Trajanæ præfatorum montium ima fæcundando expatiatus, ad Philippopolim in eandem viam redit. Ibi deinde inter Urbem, & suburbium accepto ponte ligneo versus Hæmum ad sinistra recedit, qua per majora ejus planitiei spatia egressus, & longe lateque divagatus denuo, in memoratam viam majore jam sui & nomine, & existimatione revertitur ad Muztaphæ vicum, ubi & Pontem hujus nominis a conditore nuncupatum subit. Post iterum repetito dextro latere, & v circiter milliaria nostra emetus accedit tantum proxime ad Civitatem Hadrianopolim, qua perinde atque ex debito quodam salmine salutata, totus in Austrum torquetur versus Ægæum. In quo tractu duobus pontibus acceptis, priore ligneo, posteriore lapideo, & in via Callipolitana posito, mare demuni supra dictum illabitur. Hoc proinde cursu, quem ab Hæmo ad mare obtinet, nescio an plura, ve

rum

rum majora recipit flumina , quam quæ recepit inter  
 montes . Duo primum dextro latere , & utrumque ex  
 montibus Basilicis decurrentem Zaram Richam , hoc est  
 antiquum flumen , ad Philippopolim , & Ardam paulo  
 infra Hadrianopolim : lævo deinde quinque . Topolnizam  
 citra oppidum Tatar-pazarzik , ultra Jadinam , paulo  
 post Cruzkam , inde Gergovam , mox Tonzam eodem  
 fere loco sub Hadrianopoli quo Ardam . Ubi ponte et  
 iam ligneo jungitur , Tabalar ab opificio coriariorum  
 Turcis nuncupato , quod ibidem exercetur propter aqua-  
 rum facultatem . Nec plura discere potuimus , præsertim  
 quæ a dextra ora in eum incident . Verum quoniam  
 campi Philippenses ad producendam oryzam maxime  
 sunt idonei , eoque genere leguminis multum exube-  
 rant , Jadinæ aquis potissimum irrigantur , quæ longa  
 jam indigenarum industria in complures easque amplas  
 paludes infusæ , ac in meatus derivatæ plurium amnium  
 speciem præbent . Quo fit ut mediis etiam caniculæ  
 fervoribus luto ea via fœdetur . Nomina autem Stry-  
 mon tria habet : hoc primum , quod & Græcis , & Latini  
 commune est ; secundum Mariza , quod Illyricum est ;  
 tertium Mericz , quod Turicum . Cæterum quum ho-  
 diernum ejus nomen recentiores quidam auctores Hebro  
 adscriperunt Marizam appellantes , minime edocti recte  
 sunt quandoquidem & Græci , & Turcae , & quæquaæ aliaæ  
 nationes inibi incolentes Hebrum , hoc temporis Ergienem  
 vocent . Tum illi a Ptolemæo quoque vera sua in Ta-  
 bulis positio non est attributa . Alluit enim Philippopo-  
 lim dextro latere , sinistro vero Hadrianopolim . Ptole-  
 mæus autem illum , & ab hac Urbe , & ab illa remote  
 collocavit , quum interim & Hadrianopolim cum Phi-  
 lippoli eandem esse Civitatem scribat , contra classicos  
 auctores , & publicam experientiam . Quod qui videre  
 propriis oculis , & Tabulas ejusdem Ptolemæi diligentius  
cor.

consideravere facile perspicere potuerunt quod patefacimus. At jam ulterius.

Porro moti ex Pago Cogniis sive Consthyza , quod a statione equorum nomen est sortitus , Clocodvizam XVI Augusti , hinc vero ad Hormanles XVII , quæ duo loca simili modo Pagi sunt ; & XVIII ad Pontem ac vicum Muztaphæ pervenimus . Qui tractus quoniam aridis collibus , locisque incultis , & nemorosis late patet , nihil in eo offendimus , quod fuisse notatu dignum , præter memoratum Pontem Muztaphæ , de quo jam abunde re censuimus .

Verum xix Augusti relicto Ponte Muztaphæ venimus Hadrianopolim terra superiori simili . In quo spatio , nec a Ponte multum longe , vidimus dextrorsum in Strymonis ripa oppidum Ciermenium , quod ex ædificiorum ruinis vetustam aliquam Urbem fuisse apparebat . Nunc Zagarenli Zangiaccho sedes est . Zagara autem oppidum est ad radices montis Hæmi situm , qua parte imminet ab ortu campis Philippicis , totusque iste tractus una cum ea parte montis præfati Zagarensis Comitatus hoc tempore appellatur , quum antiquo Prætura Bessica vocatus fuerit , a Bessis populis , quos veteres autores Hæmi accolas , Nessoque amni , & Pangæo monti , in quo sita est Hadrianopolis , conterminos fuisse prodiderunt . De quo lege Ptolemæum , & Pangæi montis apud Vocabularios positionem .

Oppidum vero Ciermenium sequitur amnis Gergova , ille quidem alveo exiguis , minime tamen aquarum indigus . Et mox Civitas Hadrianopolis .



colligentes, scilicet bibliotecis portugales duos pessimi-  
tus, A: Jam nescius sit respondeat, sed  
Puto motu & Protagonis via Cognitiss, duos s/  
utiose editionum novarum ex Tonina, Codicis xvi.  
Ab aliis, puto recte ad Horatianas xxi, das quo fac  
sumi mone Proli sunt; & xxiit de luctu rei vicina  
Musibips bestiarius. Qui magis dorum stirpis co-  
spicere, quod in cunctis & semioro rebus inter-  
mittitur. Potius Musibippe, qd dico ita sparsus in  
caviliis, continet deinde multa non  
Vetus xix Augusti iugis  
Exudebat Venetiis  
ALOYSIUS MILOCCO.

---

ANNO M DCC LXXV.

MENSE APRILI.